ACADEMIA

ARCHIEPISCOPALIS NEAPOLITANA

AD FOVENDUM

LATINI SERMONIS STUDIUM


FUNDATA

ANNO R. S. CIƆIƆCCCL POST. ID. DECEMB.

AUSPICE AC PATRONA PRAESENTISSIMA

DEIPARA VIRGINE MARIA

SINE LABE ORIGINALI CONCEPTA



NEAPOLI

EX ARCHIEPISCOPALI TYPOGRAPHEO

MDCCCLI.



Cum nostra ætate per turbulentissimorum temporum vicissitudines latinarum litterarum studia oblanguere non sine maximo ecclesiastici decoris detrimento in hac florentissima archidiœcesi, ubi latialis sermonis venustates, musæque ipsæ latinæ sedem ac domicilium antea fixisse conspiciebantur, et litterati homines, quorum numerus non multis abhinc annis apud nos increbrescebat, jam redacti ad paucos viderentur, haud diu multumque cogitavit Xystus Riarius Sfortia S.R.E. Cardinalis, quibus omnino rationibus fieri posset, ut hujusmodi studia pristinum nitorem recuperarent, novumque decus induerent. Quamobrem nihil potius ex sapientiæ suæ consilio sibi prævertendum ratus est, quam ut optimos quos-

que, maximeque politioribus disciplinis præstantes arcesseret, paterna benevolentia foveret, atque academia latini sermonis studium, atque ardorem fovendi causa de integro constabilita, eorum opera, quo suum urgeret propositum, potissimum uteretur. Hi vero, statis diebus, nonnihil a se lucubratum, quod succum nempe illum augustæi sæculi scriptorum, et sanguinem incorruptum exprimeret, cuique naturalis veluti, non fucatus nitor inesset, in vulgum per vices edendo, quantum in ipsis esset, tanti Principis voluntati obsequerentur.

Neque id satis habendum existimavit; sed, quo in hunc cœtum selectissimum cooptati susceptum curriculum alacrius decurrerent, ipse totius rei rationi præsse voluit; eo sane mentis consilio, ut se non ducem, sed comitem, non arbitrum, et moderatorem, sed hortatorem, ac laborum consortem exhiberet. Neque transversum unguem a veritate deflexisse visus est. Quandoquidem, si vel paulisper rem pervadere mens, ac ratio suaserint, profecto comperimus, conventus academicos ea de causa esse institutos, ut re, et scriptis, verbo, et sententia caput quisque conferret suum, atque æmulatione perbelle constituta, ad maxima quæque audenda, tamquam calcari adjecto, vehementius excitaretur: cum præsertim non modo numquam sit aut alterius ab altero cursus impeditus, sed contra alter ab al-

tero adjutus, et communicando, et monendo, et fovendo. Ita fit, ut cuique rimanti, quæritanti, singula non cursim ad trutinam revocanti, sed pro eo, atque par est, rem altius pervadenti, præclara illa facinora edantur, per quæ immortalem adsequi gloriam datur, eosque uberrimos parere fructus, quos seri nepotes in accepti beneficii memoriam litteris, monumentisque commendabunt. Qua profecto institutione nihil rei litterariæ, nihil neapolitanæ Ecclesiæ melius, felicius, ac fortunatius contingere posse videbatur, quam ut in ista latinarum litterarum barbarie, tantaque opinionum, quæ plerosque transversos egit, colluvie, latialis sermo, quo catholica Ecclesia a primis suis incunabulis semper usa fuit, macie, ac squallore deterso, ad pristinum splendorem reduceretur.

Ac ne quis falso autumet, colligendis dumtaxat exquisitis dicendi rationibus in hisce academicis conventibus agendis conteri tempus, Præses Eminentissimus argumentis potissimum seligendis animum intendit suum; quæ non aliquo certe pulverulento voluit decerpta volumine, aut e trivio hausta; sed quæ rem Ecclesiasticam, quæ nunc ut cum maxime a conscelerata impiorum manu attentatur, aut Pontificatum Maximum, pontificiaque jura vindicanda, aut nonnihil monumenti, quod rem patriam collustraret, aut alicuius viri Neapolitani pietate, ac doctrina præstantissimi vitam, resque

ab eo gestas, aliaque sexcenta ejusmodi præcipuum in modum spectarent. Quo inito certe consilio fit, ut sermonis venustates cum utilitate arctiori veluti vinculo copulentur, atque Academiæ socii in veritate inquirenda, bonoque consectando collatis capitibus certatim versentur.

Ad rem vero firmius constabiliendam de modo, ac regimine hujuscemodi conventus agendi canones præscriptos voluit ad amussim servandos. In adspectum quoque, lucemque proferri jussit argumenta, tum quæ anno jam exacto pertractata fuerunt, tum quæ per hunc annum, atque ita deinceps pertractanda suscipient quicunque sint vel in Fautorum, vel Censorum, vel Academicorum, Alumnorumque numerum relati, qui omnes ad unum in apposita pagella conspiciuntur; et stati habendo conventui dies. Quibus summatim delibatis, quisquis vel in ipso rei vestibulo poterit facile dignoscere, quæ mens, quodque consilium Præsidis Eminentissimi fuerit in hac Archiepiscopali Academia constabilienda. Sic fore sperandum, ut susceptum opus Deiparæ Virginis Mariæ ductu, atque auspiciis ad optatum exitum perducatur; et Neapolitanæ Ecclesiæ res bene, feliciterque vertat.

DE REGIMINE

ACADEMIÆ ARCHIEPISCOPALIS NEAPOLITANÆ.

CANONES

I.

Ecclesiasticis tantum, atque iis Neapolitanæ Diœcesi adscriptis, ad Academiam pateat accessio.

II.

Primo loco eligendi quiqui jam fama inclaruere, et *Censores* appellandi: secundo loco quotquot non mediocris expectationis specimen aliquod exhibuerunt, peculiari *Academicorum* nomine admovendi: tertio adolescentiores ingenii experiundi, ac tentandi causa adjiciendi, quibus inditum sit nomen *Alumnorum*.

III.

Insigniores viri, qui vel ingravescente ætate, vel muneribus alioqui fungendis nequeant statis temporibus interesse, adeoque obeundis academiæ muniis impares, honoris gratia conscribantur: hi *Fautorum* titulo donandi. Quibus adscriptis quatuor omnino ordines constituti.

IV.

His universis sit Præses ipse Academiæ Auctor, atque Conditor, qui aliquem sibi alleget a *Secretis*.

V.

Nullum opus recipiendum nisi latina, et soluta quidem exaratum oratione.

VI.

Cura, atque officium Censorum sit Academicorum scripta diligenter ad examen revocandi, ut æquam de iis sententiam ferant: hæc vero Præsidi ab eo, qui a Secretis est, referenda. Cum Præsidis placitum accedit, auctori fit potestas publice suum opus recitandi. Insuper Censorum est Orationem habere ineunte, atque exacto annuo studiorum curriculo.

VII.

Scripta Fautorum nullo indigent Censorum præjudicio; licet ipsi munere censorio fungi possint.

VIII.

Vicenis quibusque diebus, vel P. M. comitia haberi liceat.

IX.

In consulendo, disceptando, sententias de lucubrationibus ferendo, italico uti sermone fas sit. Quibus absolutis, si quid e re sit, auctore Præside, referatur.

X.

Si qua lucubratio universorum plausu exicipiatur, qui est a Secretis Præsidem consulat, num typis excudenda; quo majus Auctori, ceterisque Academicis gloriæ incitamentum addatur.

XI.

Censores, qui sine causa sontica quinquies continuo defuere: Academici vero, et Alumni, qui ter, albo expungendi.

XII.

Cum quis ex alumnis sui in studiis profectus non mediocre specimen exhibuerit, Censores, qui id probaverint, referant Præsidi nomen Alumni in Academicorum ordinem cooptandi.

XIII.

Jus sit Præsidi Carmina pro re nata Academicis imperandi, quæ publice recitentur, ineunte potissimum in solemni præmiorum distributione, exactoque annuo studiorum curriculo.

XIV.

Ex consilio, atque auctoritate Præsidis mutanda, tollenda, addenda.

ACADEMIÆ CONDITOR AC PRÆSES

XYSTUS RIARIUS SFORTIA

S. R. E. CARDINALIS ARCHIEP. NEAP.

PRÆSIDIS VICES GERENS

SALVATOR GUARRACINO

CANONICUS

IN FAUTORUM ORDINEM RELATI

Camillus Monteforte Episcopus Sidoniensis
Aloysius Monforte Canonicus
Bartholomaeus Pessetti Canonicus
Raphael Piscopo Canonicus
Andreas Ferrigni Canonicus
Hieronymus Pirozzi Canonicus
Blasius Maresca Canonicus
Januarius De Rosa Canonicus
Franciscus Celentani Canonicus
Januarius Rivieccio
Dominicus Connola
Josephus Formisano
Paschalis Lammoglia

IN CENSORUM ORDINEM ADLECTI

Nicolaus Lucignani Canonicus
Michael Scotti
Josephus Nocerino
Januarius Colamarino
Raphael De Gennaro
Antonius Mirabella
Ferdinandus Arcamone
Stephanus Viglione

IN ACADEMICORUM ORDINEM COOPTATI

Josephus Canonico
Carmelus Ruggiero
Salvator Noto Canonicus
Julius Capone
Raphael Granata
Josephus Placente
Joannes Gallo
Raphael Cirillo
Hieronimus De Alexandro
Franciscus Giorgio
Franciscus De Matteo
Cajetanus Sanseverino

Antonius d' Amelio
Matthaeus Parlati
Dominicus Pagliara
Raphael Zito
Josephus Scotti
Januarius Trama
Franciscus Ventriglia
Thomas De Alteriis
Cajetanus Salvatore
Joannes Carbonelli
Franciscus Feola
Ferdinandus Jammartino

IN ALUMNORUM ORDINEM RELATI

Raphael Ammirante
Sebastianus Scognamiglio
Franciscus Franco
Aloysius Martuscelli
Antonius Cipolletta
Dominicus Minichino
Alphonsus Capasso
Alphonsus Gagliardi
Vincentius Bruni
Januarius Pappalardo

Cajetanus Marinari
Stephanus Belisario
Nicolaus Galliani
Josephus Marino

A Secretis Academiæ

Cajetanus Barbati.

LUCUBRATIONUM ARGUMENTA

JAM PERTRACTATA DECURSO ANNO MDCCCL.

In Academiæ institutione orationem habuit *Cajetanus Barbati* iv idus decembris, cujus argumentum: quanta, Academicis conventibus institutis, gloria bene temperatis civitatibus redundaverit; quamque uberrimos fructus universum hinc hominum genus perceperit.

IV idus januarii orationem habuit *Stephanus Viglione*, qua demonstrandum suscepit: quantum homini ambitioso, publicoque bono adversetur, ac noceat ambitio; nec modo fugienda, sed et abominanda, omnique ratione oppugnanda.

Pridie Kalendas februarii orationem habuit *Salvator Noto*, qui theologicum paradoxon proposuit, quo fidei Christianæ mysteria humanæ rationi magis impervia videntur, eo majorem illis adjungendam fidem.

Nonis martii *Raphael Cranata* Joannis D'Anna olim in Diœcesano Seminario Eloquentiæ Professoris vitam, resque ab eo gestas Corneliano more conscriptas recitavit.

Postridie idus aprilis *Dominicus Connola* orationem habuit, cujus argumentum; eloquentiæ studium non modo utilitati, sed maximæ necessitati esse non iis tantum, qui in publicis, vel

privatis negotiis gerendis versantur, verum iis potissimum, qui ecclesiasticæ militiæ nomen dederunt, qui illud Christi Redemptoris maximopere implere tenentur: Euntes prædicate.

Pridie idus majas *Julius Capone* Antonii Rosmini sententiam refutandam suscepit, qui in libello de quinque Ecclesiæ vulneribus perperam autumavit, Latinum sermonem, uti primum vulnus, omnino exterminandum. Fuse vero disseruit Latinum Sermonem quam maxime catholicam Ecclesiam decere.

Pridie idus junii orationem habuit *Sebastianus Scognamiglio*, qua aggressus est demonstrandum: Catholicæ Religionis antistites a primis Ecclesiæ incunabulis non scientiis modo sacris operam gnaviter dedisse, sed illas etiam, quæ naturæ vires scrutandi causa institutæ sunt, immo humaniores disciplinas excoluisse.

V idus julii orationem habuit *Hieronymus Pirozzi* Canonicus, qua demonstrandum suscepit, hypocrisin præsentissimam esse Ecclesiæ pestem, quippe quæ maximo est ei dedecori; teterrimum vero societatis exitium, cujus jura sanctissima contemerat, atque disrumpit.

IV Kalendas septembris acroasin habuit *Cajetanus Salvatore*, cujus argumentum; Catholica Religio, et nova protestantium fides quoad Deum, et humani animi naturam spectant ad veritatis tesseram exactæ, et inter se collatæ.

VI Kalendas octobris orationem habuit *Antonius Mirabella*, qua dicendum aggressus est, primum de societate humana per Evangelium instaurata, deque christianis litteris consurgentibus, romano imperio prolapso, ethnicisque litteris periclitantibus; deinde in ratione studiorum a tribus sæculis invecta præsentium temporum calamitates, et primas hujus conturbationis causas, et quasi antecessiones, et progressus inspexit.

*

LUCUBRATIONUM ARGUMENTA

QUÆ PER HUNC ANNUM CIƆIƆCCCLI

PERTRACTANDA SUSCIPIANTUR.

XVII Kalendas februarii in Academiæ instauratione *Januarius Colamarino* orationem habebit, et demonstrandum auspicabitur, Academiæ dignitatem cum utilitate esse conjungendam; quod, quo facilius obtineatur, in argumentis pertractandis verum est inquirendum, ac bonum consectandum.

III Kalendas februarii *Aloysius Martuscelli* suscipiet illud pertractandum ; Neque ex geologicis, neque phisicis, neque astronomicis documentis elici posse aliquid, quod Mosaicam Cosmogoniam infirmare valeat.

X Kalendas martii *Franciscus Xaverius Feola* demonstrandum aggredietur ; Romam universi terrarum orbis caput, ac dominam ingentem sibi gloriam comparasse ex unis Romanis Pontificibus, ut merito dici possit, non aliam esse Romæ gloriam, quam Romanorum Pontificum gloriam. Quare nemo non videt, quanta æquitate, quantaque justitia Romanum Pontificem Romæ Patrem, Moderatorem, Præsidium omnes boni intueantur.

III ante idus martias *Josephus Canonico* orationem habebit, cujus argumentum: cum homines societatem non suæ voluntatis arbitrio inierint, ad eamque ab ipso Deo facti, et comparati sint, imperii, atque obedientiæ origo ab eo est repetenda.

III ante nonas aprilis *Paschalis Lammoglia* pertractandum illud sumet, Sacrarum litterarum poeticos libros sublimitate, ac majestate sua inter omnia, quæ extant profana poemata longe eminere.

Kalendis maji *Franciscus Franco* disserendum aggredietur, novam recentium hæreticorum doctrinam a pravis animi cupiditatibus proficisci, et subdolis artibus, armorumque vi propagari.

XI Kalendas junii *Antonius Cipolletta* excudendum auspicabitur, insanos Ecclesiæ hostium conatus, quin illam funditus eruerent, in causa fuisse, cur illa major evaderet, deque ipsis hostibus clariores referret triumphos.

VI Kalendas julii *Josephus Placente* dicendum suscipiet, quænam sint scientiarum, litterarumque genera ad Christianam apologiam necessaria, uti par est, non levi brachio, aut ludicre hisce præsertim temporibus pertractandam.

XVI Kalendas augusti *Josephus Formisano* pertractandum illud suscipiet, calamitates, quibus per hosce annos Christi Ecclesia conflictata fuit, divinam prorsus suam prodere originem.

VII idus augusti orationem habebit *Dominicus Scotti Pagliara*, cujus argumentum; Catholica Religio est inter omnia societatis præsidia adeo firmum, ut majus haberi nequeat.

V ante Kalendas septembris *Raphael Zito* excudendum suscipiet illud, nonnullos neapolitanos Episcopos a calumniis a mendacibus historicis ipsis illatis vindicari.

III ante idus septembris, exacto annuo studiorum curriculo, orationem habebit *Ferdinandus Arcamone*, cujus argumentum; Sacra historia dignitate, utilitate, et certitudine sua ceteris omnibus historiis antecellit. Qua absoluta, autumnales feriæ indicuntur.

Laus Deo et Virgini Deiparæ sine labe originali Conceptæ.